

CAPUT LI.

AD ACTUS SUPERNATURALES NECESSARIUM NON ESSE
AUXILIUM PRÆVIUM PER MODUM CONCURSUS, SED
SIMULTANEUM SUFFICERE.

1. *Connexio hujus doctrinæ. — Assertio: Actiones supernaturales non magis postulant concursum prævium, quam naturales.* — Hæc est conclusio principalis, propter quam eliciendam, ad omnia, quæ de concursu Dei in præcedentibus capitibus dicta sunt, necessitate compulsi digressi sumus, quia neque sine illo principio hæc assertio fundari poterat, nec illo principio stabilito alia probatio necessaria est, quia est evidens consecutio, ut auctores contrariæ sententiæ etiam fatentur; nec enim ob aliud requirunt ad actus gratiæ concursum prævium ejusdem ordinis, nisi quia putant esse per se necessarium ex generali ratione actionis creatæ, seu causæ secundæ. Sic igitur nos ex contrario principio ita concludimus: Actiones naturales, sive necessariæ, sive liberæ, ex vi dependentiæ essentialis a prima causa, non requirunt concursum prævium in causa; ergo nec actiones supernaturales et gratiæ illum necessario postulant. Probatur consequentia; tum quia eadem est ratio dependentiæ, proportionem servata, respectu Dei, ut est prima causa naturalis, vel supernaturalis; tum etiam quia non minus potens est habitus, verbi gratia, charitatis, aut lumen gloriæ, respectu suarum actionum supernaturalium, quam sit voluntas vel intellectus in ordine ad actiones sibi connaturales; ergo sicut hæc potentiæ solum indigent concursu concomitante, ita etiam illæ virtutes; tum denique quia omnes rationes factæ de aliis causis tam naturalibus quam liberis, servata proportione, hic locum habent.

2. *Probatur auctoritate sancti Thomæ.* — Unde possumus assertionem hanc auctoritate D. Thomæ confirmare, nam in 1. 2, q. 109, non alium concursum Dei postulat ad supernaturaliter operandum, supposito sufficienti principio interno gratiæ, nisi generalem illum quem Deus præbet causis secundis, unicuique accommodatum, seu magis vel minus perfectum, et inferioris vel superioris ordinis, juxta gradum et perfectionem causæ. Sic in articulo 4 dicit hominem, tam in statu naturæ integræ, quam lapsæ, indigere gratia, id est, interno supernaturali principio operativo ad diligendum Deum ex charitate, et insuper in

utroque statu indigere *auxilio Dei moventis*, per quod concursum simultaneum intelligit, ut supra declaratum est. Et in art. 9, ad opera supernaturalia, duo dicit esse per se et in universum necessaria, scilicet, habitum gratiæ, et motionem illam Dei quæ, ex generali ratione dependentiæ omnis rei creatæ a Deo, necessaria est, quæ est tantum motio cooperativa, licet in statu naturæ corruptæ, ob alias rationes indigeat homo aliis auxiliis.

3. *Item Augustini.* — Possumus etiam, ad conclusionem confirmandam, Augustini auctoritatem inducere, quatenus in multis locis dicit esse in potestate hominis vocati et sufficienter præparati, habere operationem liberam et supernaturalem, si velit, et consequenter habiturum etiam concursum necessarium ex parte Dei, si per eum non stet: hæc enim subsistere non possunt si prævius concursus ultra simultaneum esset in operibus gratiæ necessariis, quia talis prævius concursus, cum a solo Deo fiat, ab ejus sola voluntate pendet, ut paulo antea de prædeterminatione ad actum peccati ostendimus. Est enim eadem proportionalis ratio in præsentem, quia homo non potest se disponere ad illum concursum prævium: naturalis dispositio deberet esse supernaturalis, et ad illam esset necessarius concursus prævius, et sic procederetur in infinitum, et sic sistendum est in primo, qui a solo Dei arbitrio pendeat. Unde e converso, ex omnibus locis in quibus Augustinus docet, posita vocatione et principio sufficienti gratiæ, esse in nostra potestate velle aut nolle, et ad hanc aut illam partem determinari, aperte docet concursum Dei ad utrumque necessarium esse nobis oblatum, et in nostra esse potestate, ac subinde non esse prævium, neque ad unum determinatum; tale est illud Augustini: *Consentire et dissentire nostræ voluntatis est*, de Spirit. et litter., cap. 34. *Quod velimus nostrum esse, licet Dei sit vocando*, dicta quæst. 2 ad Simplicianum; Dei esse offerre, et inchoare gratiam, *accipere esse in nobis*, epistol. 54. Denique posse hominem sibi tribuere, *quod venerit vocatus*, lib. 83 Quæst., quæst. 68. Unde eisdem locis carentiam consensus homini dicit esse tribuendam, quod certe intelligi non posset nisi concursus esset in hominis potestate, quod proprium est concursus simultanei; sed hæc pluribus discutienda sunt, tractando inferius de auxilio efficaci, de quo fere eadem est ratio.

4. *Rationes ab incommodis indicatæ tantum et remissæ in libr. sequent.* — Et ob eam-

dem causam omitto hic duas fundamentales rationes ab inconvenienti sumptas, ob quas etiam in operibus gratiæ non potest talis concursus prævius esse necessarius. Una est, quod si talis concursus prævius est necessarius, et Dei arbitrio datur, quibus non datur ita fit impossibilis via salutis, ut non sit in potestate eorum habere id sine quo non possunt viam illam ingredi, nedum in ea progredi, et eam consummare, id est, ut non sit in eorum potestate velle credere, sperare, amare, quia hæc sine auxilio prævio fieri non possunt, neque ad illud habendum quidquam facere possunt. Alia ratio est, quia opera facta ex impulsu talis concursus prævii non essent libera, quia talis concursus a solo Deo fit antecederet in voluntate, cui illa resistere aut dissentire non potest. Sed hæc rationes communes sunt ad omne auxilium de se efficac ac prædeterminans suavi voluntatem, et ideo illas pressius libro 5 expendemus. Nunc duo adverte. Unum est, dicta omnia facile procedere respectu habituum infusorum, habere autem nonnullam difficultatem in actibus supernaturalibus qui sine habitibus fiunt; nihilominus tamen in illis vera sunt quia licet necessarium sit efficaciam habitus, per aliud principium supernaturale, sive inhærens, sive assistens, suppleri, nihilominus illud principium non datur per modum concursus prævii, sed per modum proximæ virtutis, seu adjutorii, quo posito solum expectatur concursus simultaneus.

5. *Quomodo sit intelligenda assertio.* — Unde aliud advertendum est, assertionem in universum procedere, quando potentia hominis ex omni parte est sufficienter constituta in actu primo ad operandum supernaturaliter; ita ut virtutem per se effectivam supernaturalis ordinis, et omnia ad operandum prærequisita ex parte principii habeat. Unde maxime habet locum in potentia habitu supernaturali instructa, et in suo ordine sufficienter excitata. Ideoque cavendum est ne per æquivocationem a necessitate auxilii prævenientis fiat transitus ad concursum prævium; plus enim quam cælum a terra distant, nam concursus nec locum habet, nisi postquam potentia necessariis auxiliis sufficienter præventa est. Item quia præventia auxilia ad gratiam excitantem pertinent, ut supra visum est: concursus autem simultaneus imbibitur in actu gratiæ cooperantis, et si daretur prævius, non esset per modum excitationis, quæ est actus vitalis, sed per modum motionis non vitalis, et ab extrinseco agente tantum receptæ, et hanc dicimus

etiam ad opera gratiæ per modum concursus prævii non requiri.

6. *Fundamentum unicum adversariorum, initium salutis fore a nobis, destruitur.* — Atque hæc unica animadversione facile solvitur fundamentum contrariæ sententiæ, quatenus de his actibus supernaturalibus præcipue loquitur; erat autem fundamentum cap. 29, ultimo loco propositum, quia alias initium salutis, seu actus, verbi gratia, fidei, vel amoris Dei super omnia, in quibus nostra salus consistit, esset ex nobis, quod Scripturis sanctis et Conciliis repugnat. Hoc ergo fundamentum dicimus solum niti in æquivocatione verborum. Nam initium salutis, vel justitiæ, aut boni operis, in usu Conciliorum et Patrum, non significat actum ipsum liberum, prout a Deo vel ab homine prius fit, sed significat actum aliquem priorem actu ipso libero, qui sit principium ejus, et a quo salus hominis inchoetur. Hoc probamus aperte, primo ex Concilio Tridentino, sess. 6, dicente: *Declarat sancta Synodus ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione.* Numquid vocatio est prævius concursus ad consensum, quem potest tempore antecedere? Secundo, idem initium vocavit Concilium, prævenientem Spiritus Sancti inspirationem, in canon. 3 dum definit: *Si quis sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, etc.*; illa enim duo auxilia ad omnes actus supernaturales requirunt, et inspirationem prævenientem ponit, ut primam gratiam, quæ est exordium salutis. Quam enim in cap. 5, *vocationem* appellaverat, statim vocat *excitantem gratiam*, et hanc deinde vocat Spiritus Sancti illuminationem et inspirationem. Hoc ergo est initium salutis, et singulorum actuum fidei et spei, etc. Tertio, hoc ipsum satis probat illud ipsum Concilium, quod in contrarium allegatur, Arausicanum II; nam in cap. 5, dum initium fidei in nobis fieri per gratiæ donum definit, ita exponit illud gratiæ donum: *Id est, per inspirationem Spiritus Sancti, corrigentem voluntatem nostram.* Et eodem modo loquitur in cap. 6, 7, et sequentibus, ac tandem in 23, ubi dicit: *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus*, et statim declarat quomodo Deus incipiat, dicens: *Sed ipse nobis, nullis præcedentibus meritis, et fidem et amorem sui prius inspirat.*

7. *Quid sit initium salutis apud Augustinum.* — Eademque fuit sententia Augustini,

semper enim salutis initium ad vocationem vel sanctam cogitationem reducit, et ideo dicit omnem pium voluntatis motum Deo tribui, ut videre licet dicta quæst. 2 ad Simplicianum, cap. 8, ubi ait, ideo initium boni operis esse ex Deo, quia non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sentiens ex sancta cogitatione initium illud sumi. Et de eadem re est egregium testimonium Zozimi Papæ, Cœlestini et Concilii Africani et Prosperii auctoritate firmatum in Epistol. Cœlestini, cap. 8, ubi hoc initium instinctus Dei appellatur, et illo mediante omnia bona ad Deum auctorem suum referenda dicuntur. Idem confirmat aliis locis Prosper, præcipue ad excerpta Genuensium, et contra Collator. ; et Fulgentius, lib. 1 ad Monim., cap. 8, et lib. de Incarnat. et gratia, cap. 17 et 18.

8. *Confirmatur.* — Hoc etiam probat quod capitibus 1 et 2 hujus libri diximus, excitationem esse primam gratiam, quia a sancta cogitatione incipere debet omnis sancta voluntas et operatio: in unoquoque autem ordine, id quod est primum est initium totius rei; unde quia gratia est causa salutis, primum auxilium gratiæ est initium salutis. Et præterea usi sunt Patres illo modo loquendi contra Semipelagianos, cum quibus non erat disceptatio de modo concursus divini, sed de primo auxilio. Nam Semipelagiani dicebant nullum esse, quia etiam vocatio datur ex humano merito, ut in Prolegomenis visum est. Patres autem, ut gratiam defenderent, dixerunt primum auxilium esse gratiæ ac salutis initium, ac proinde esse prius omni humano merito et libera cooperatione. In hoc ergo sensu loqui oportet de initio salutis, ut sententias Conciliorum et Patrum, a quibus istæ voces sumptæ sunt, intelligere possimus; alioqui si per novas impositiones significatio reddatur incerta, etiam definitiones Patrum eludentur, et ad falsa dogmata probanda retorqueri poterunt.

9. *Respondetur argumento numero 6 proposito.* — *Multis modis potest voluntas primo incipere actum.* — Hinc ergo facile intelligitur probationem illam parum rei præsentis deservire: ut autem res evidentior fiat, formalius illi respondebimus. Nam cum in illo fundamento infertur, si voluntas, affecta charitatis habitu, sine concursu prævio posset uti illo habitu ex innata libertate, primo eam incipere actum illum, distinguenda imprimis est particula *primo*, fere eodem modo quo supra illam distinximus, servata proportione: nam potest dicere relationem ad priorem gratiam, et

illam excludere, et sic negatur sequela, quia, secundum sententiam nostram, etiam potentia habitu infuso perfecta non potest operari sine prævia excitante gratia, et ita non ipsa potentia primo incipit actum, sed gratia quæ illam excitat. Qui autem putant potentiam affectam habitu non indigere semper excitatione, etiam negabunt sequelam, vel quia ante habitum præcessit excitatio quæ virtute manet, vel quia ipsemet habitus habet vim excitationis; hoc enim etiam ipse arguens alibi fatetur, quod tamen nullo modo nobis placet, ut supra cap. 1 et 2 diximus, et ideo verius est requiri proprias excitationes, etiam ad actus procedentes ex habitu; imo licet dandus esset prævius concursus, adhuc præcederet excitans gratia. Ergo respectu illius nullum fundamentum habet illatio.

10. *Alia prioritas quæ subdistinguitur.* — Potest autem aliter particula *primo* dicere relationem ad ipsummet charitatis habitum, et tunc potest illa particula ulterius positive sumi aut negative. Priori modo, significat voluntatem prius efficere amoris opus quam charitatis habitum, et sic falsum est consequens et mala illatio. Nam licet voluntas sine prævio concursu utatur habitu, non tamen utitur illo sine influxu illius, neque prius elicit actum quam ipse habitus, nec se determinat, quin simul habitus determinationem efficiat. Nam licet habitus charitatis dicatur determinari ad usum et exercitium a voluntate in qua inest, quia libertas et indifferentia, quæ est proxima radix illius determinationis, est a voluntate, nihilominus ibi non intercedit ordo prioritatis in causalitate, sed solum specialis habitudo ad talem actionem propriam voluntatis, ratione cujus, respectu illius peculiari modo denominatur determinatio. Posteriori autem modo, scilicet, negative, verum est consequens, et optima illatio, quia habitus charitatis ordine causalitatis non prius influit in actum quam voluntas, ut per se notum est, et infra in libro 6 ex professo dicetur.

11. *Tertia prioritas consideratur positive.* — Tertio, potest illa particula, *primo*, dicere relationem seu comparisonem ad Deum concurrentem cum voluntate, et eadem subdistinctione utendum est, nam potest et negative et positive intelligi. Positive significat, liberum arbitrium prius operari quam Deus concurrat, et quia hoc falsum est, tam male infertur: nam cum dicamus concursum illum esse simultaneum, unde inferri potest influ-

xum liberi arbitrii esse priorem? Imo ex illo antecedente contrarium aperte sequitur; tum quia simul et prius opponuntur; tum etiam quia illa simultas est per essentialem dependentiam actionis causæ secundæ a primæ, et ideo contradictionem implicat talem actionem esse prius ordine causalitatis a causa secundæ, quam a primæ, quia repugnat rem esse priusquam suam essentiam habeat.

12. *Et negative.* — At vero negative significat illa particula, Deum non prius efficere per se et immediate illum actum per suum concursum generalem, quam liberum arbitrium per suum, et sic admittimus sequelam, nam et illatio optima est, et consequens verissimum, loquendo de prioritate causalitatis, secus vero de prioritate independentiæ, et dignitatis, ac efficacitatis, sicut in aliis actionibus causarum secundarum declaravimus: nam quoad hoc nihil habent peculiare opera gratiæ, sed solum in excellentia et perfectione ipsiusmet concursus simultanei, ut jam satis explicavimus. Neque hoc possunt negare auctores primæ sententiæ, quoad simultaneum concursum; nam, licet ponant prævium, negare non possunt simultaneum, etiam in operibus gratiæ, sicut revera non negant; ergo in eo signo naturæ, in quo jam elicitur et immediate fit ipsa actio voluntatis supernaturalis, necesse est ut homo sit primo operans in dicto sensu, quia in eam actionem non prius operatur Deus. Dicent jam præcessisse operationem Dei per prævium concursum, ratione cujus initium illius actionis tribuatur Deo. Respondemus imo præcessisse excitationem et vocationem Dei, quæ est verum initium gratiæ et salutis, nobis traditum a Conciliis et Augustino: aliud autem initium in eis non legimus, neque necessarium reputamus, saltem ratione generalis concursus; an vero ob aliam peculiarem causam ponendum sit, in libro 5 expendemus.

13. *Solvitur objectio ex Concilio Senonensi.* — Similis æquivocatio committitur in altera probatione, sumpta ex Concilio Senonensi, quia in præfatione dicit: *In bonis operibus efficiendis, et liberum arbitrium operatur, et gratia, primo tamen et principaliter gratia, et qui primatum boni operis libero arbitrio adscribit, non gratiæ, Pelagianus censendus est;* quasi ex his bene inferatur, qui dicit liberum arbitrium simul cum Deo operari bonum actum, et Deum per generalem concursum non prius natura illum actum efficere, primatum tribuere libero arbitrio, quæ illatio

prorsus sophistica et absurda est. Nam imprimis ibi Concilium non loquitur in specie de concursu, sed in genere de gratia, et ita nullum argumentum sumi potest ab inferiori ad superius negative; ut non sequitur: Non est homo; ergo non est animal; ita etiam non sequitur: Concursus Dei non prius operatur quam influxus liberi arbitrii; ergo gratia in bonis operibus efficiendis non est prior. Quocirca licet priori sententiæ demus particulam *primo* significare ordinem causalitatis et naturæ, nihil inde probatur, quia illud est verissimum ratione gratiæ prævenientis, quæ præcedit semper omnia opera nostra, et in suo genere est principalis causa eorum, licet, physice loquendo, principalior sit causa adjuvans quam liberum arbitrium, et ita ratione utriusque gratiæ propriissime positæ sunt illæ duæ particule *primo* et *principaliter*. Neque posterior consequentia majori probabilitate inducitur, quia primatus non significat ordinem causalitatis, sed dignitatis et virtutis, et in hoc præstat gratia, non solum ut est specialis virtus causæ secundæ in suo ordine, qualis est charitas, et aliæ virtutes infusæ, sed etiam ut extenditur ad concursum generalem in alio ordine. Imo non solum in operibus gratiæ, sed etiam in omnibus actionibus causarum secundarum primatum habet efficientia Dei per suum generalem concursum, etiamsi simultaneus sit. Ac denique, licet gratis demus vocem primatus positam esse propter ordinem causalitatis, non adstruitur respectu concursus, sed respectu gratiæ, de qua certissimum est esse primam in causando et movendo liberum arbitrium, quod solum potest ad primatum sic impropriissime explicatum pertinere.

14. *Ratio adversariorum: Homo in negotio salutis haberet aliquid proprium.* — Ultima probatio erat, quia alias haberet homo in negotio salutis aliquid proprium, quod non haberet ex gratia, contra illud Pauli: *Quid habes quod non accepisti?* quod argumentum magni facere solent dicti auctores, ad probandum auxilium efficax physice prædeterminans. Nunc quidquid sit de auxilio efficaci, an ex peculiari ratione ordinis gratiæ requiratur, solum dicimus non recte applicari argumentum ad concursum generalem; alias peccator in peccatis suis dicere posset: *Quid habeo quod non accepi a Deo, quia quidquid feci, ipse fecit ut facerem, concursu prævio non minus efficaci in suo genere, quam concursus gratiæ sit in suo ordine.*

15. *Solvitur.*—Respondemus ergo negando sequelam, quia etiamsi non detur concursus prævius in ordine gratiæ, nihilominus quidquid est in homine bene operante conferens ad salutem, totum id habet a Deo, quia in homine nihil hujusmodi invenitur, nisi vel antecedentia auxilia, vel habitus infusi, et actiones eorum, vel in fieri, vel prout sunt actus perfecti, et qualitates quædam. Omnia autem hæc habet homo a Deo, ut ab auctore gratiæ; de antecedentibus enim auxiliis jam satis id ostensum est; de habitibus id nunc suppono ut certum apud omnes; de actionibus in fieri patet ex proxime dictis, quia illæ actiones immediate fluunt a Deo, a quo essentialiter pendent; mediantibus illis actionibus, etiam actus, seu qualitates actuales sunt dona gratiæ Dei, ut supra etiam est declaratum. Quid ergo subtrahitur gratiæ Dei? Numquid quod actiones et actus

non sunt a solo Deo? At hoc, etiam posito concursu prævio, necessario dicendum est. Dicent forte, hoc quod est agere, seu determinari ad actionem, non tribui gratiæ Dei. Verumtamen hoc etiam est falsum, quia agere non est aliquid ultra actionem; ergo si actio est a Deo per concursum simultaneum, etiam agere est a Deo, ex vi ejusdem concursus, et remoto prævio. Determinatio autem, si sumatur ante ipsam actionem, nulla est, et ita nihil ex hac parte tribuitur homini; si vero sumatur, ut per actionem ipsam formaliter fit, sic nihil addit ipsi actioni, neque in se habet aliquid quod non sit a Deo per generalem concursum simultaneum. Quid ergo reale est in donis gratiæ, quod dicatur homo habere sine Deo, seu absque influxu gratuito Dei? Nulla est ergo necessitas prævii concursus. Et hæc de speciebus auxiliorum gratiæ dixisse sufficiat.

FINIS LIBRI TERTII.



INDEX CAPITUM LIBRI QUARTI

DE AUXILIO SUFFICIENTE, QUID SIT, QUIBUSQUE DETUR, ET QUOMODO AD LIBERTATEM VOLUNTATIS CIRCA SUPERNATURALES ACTUS NECESSARIUM SIT.

- CAP. I. *An recte auxilium gratiæ in sufficiens et efficax dividatur.*
- CAP. II. *Utrum auxilium sufficiens non solum homini sit necessarium ut possit operari, sed etiam ut operetur aliquo modo tribuat.*
- CAP. III. *Utrum auxilium sufficiens sit verum auxilium gratiæ internæ, distinctum a lege, revelatione et doctrina.*
- CAP. IV. *Utrum auxilium sufficiens internum in sola gratia excitante consistat, et cum illa convertatur, seu idem omnino sit.*
- CAP. V. *Utrum gratia sufficiens sit tantum actualis, vel etiam habitualem includat.*
- CAP. VI. *An auxilium aliquod vere sufficiens sit ex se inefficax, vel unde id habeat, quando tale esse contingit.*
- CAP. VII. *Utrum auxilium sufficiens detur interdum prædestinatis, vel reprobis.*
- CAP. VIII. *Utrum auxilium sufficiens detur omnibus adultis, quantumvis reprobis sint.*
- CAP. IX. *An et quomodo fidelibus semel justificatis, qui tandem non salvantur, detur auxilium sufficiens ad salutem æternam.*
- CAP. X. *An et quomodo fidelibus peccatoribus semper, dum vivant, gratia sufficiens tribuatur, qua converti et justificari possint.*
- CAP. XI. *Quomodo infidelibus omnibus detur auxilium sufficiens ad fidem et salutem.*
- CAP. XII. *Difficultas circa superiorem doctrinam proponitur, ejusque occasione tractari incipit axioma: Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam.*
- CAP. XIII. *Tractatur altera sententia præcedenti contraria, negans datam esse a Deo legem dandi auxilium gratiæ facienti quod in se est per vires naturæ ad servandam legem naturalem.*
- CAP. XIV. *Tractatur tertia opinio, quæ partim a præcedentibus recedit, partim cum utraque convenit.*
- CAP. XV. *Proposite difficultati satisfit, et axioma propositum in vero et catholico sensu explicatur.*
- CAP. XVI. *Difficultati cap. 12 propositæ satisfit.*
- CAP. XVII. *Objectionibus in cap. 13 propositis satisfit.*
- CAP. XVIII. *Quid Augustinus senserit, de sufficienti auxilio, an omnibus adultis detur.*
- CAP. XIX. *Utrum auxilia sufficientia omnibus hominibus æqualiter conferantur ex parte Dei, vel unde eorum varietas seu inæqualitas oriatur.*
- CAP. XX. *De concordia liberi arbitrii cum necessitate sufficientis auxilii prævenientis.*